

ciae Gupuscoae cum mandatis procurae omnium locorum fuit emissum votum jejunandi in vigilia s. Ignatii Loyolae tamquam patroni principalis illius; quod cum servare renuerit clerus, propterea Episcopus tamquam legislator ecclesiasticus illum obligavit ad ejus observantiam. At reportavit Clerus Chirographum a Benedict. XIV. quo improbatum fuit illud factum Episcopi sub die 21. Martii 1729, a quo cum petita fuisset oris aperitio, in s. Rit. Congr. die 3. Mart. 1731 ponente Eminentissimo Origo, fuit denegata et iterum postulato recessu a decisis die 15. Sept. s. eadem Congr. stetit in decisis. Sic apud Joan. Baptistam Pittonum constitut. ac decision. pro s. ritibus tom. 2. num. 1012.

14) Pentecostes.

Reformatorum Ordinis s. Francisci.

Fratris Bernardini Crucifixi in Ara-coeli pro licentia celebrandi festum s. Bernardini unica tantum missa cantata ratione concursus die sabbati vigiliae Pentecostes: Non licere.

Die 6. Maii 1673.

(Anal. J. P. 1865 p. 1180 n. 1972.)

Vd.: *Missae de requ. inf. oct.*; *Missae vot. priv.*; *Missae vot.* (dies et octavae etc.)

In vigilia Pentecostes prohibetur quodcumque officium etiam primae classis; item prohibentur missae votivae et de requiem excepta una votiva pro re gravi et de requiem cantata praesente cadavere, quae tamen prohibetur in Dominica Pentecostes et duobus sequentibus ex decreto sacrae Congregationis Rituum 10. Decembris 1718 relato a Calendario Mediolani impresso anno 1743 et variis aliis annis. Ex novissimo decreto edito

2. Sept. 1741 permittitur missa solemnis de requiem praesente cadavere feria 2. Paschae aut Pentecostes.

15) Omnium Sanctor.

Vd.: *Missale* (correctio. decr. n. XIV.)

16) Translatio.

Vd. p. 852. n. 8.

Rothomagen.

Cum festum s. Quintini martyris principalis patroni oppidi seu loci de Neucourt ab illius incolis aliisque finitimis magno pietatis studio ac populorum frequentia in vigilia omnium Sanctorum celebretur et proinde jejunii observatio difficilis reddi videatur, ab iisdem humiliter Congregationi sacris Ritibus praepositae supplicatum fuit, ut sibi concedere dignaretur facultatem vigiliam omnium Sanctorum in praecedenti die anticipandi. Et Emis PP. visum fuit id posse concedi, si SSmo D. N. placuerit. De qua s. Congregationis sententia habita ab Emo D. Cardinali Capponio praefecto relatione Sanctitas Sua annuit.

Die 27. Februarii 1651.

(Anal. J. P. 1863 p. 312.)

S. VINCENTIUS MART.

(Missa et Off.)

Ad dub.: An in missa s. Vincentii Levitae Martyris, de quo in Regno Hispaniorum officium quotannis persolvitur ex apostolico indulto die 5. Julii 1819 sub ritu dupl. II. cl. cum octava dicendum sit Symbolum Nicaenum?

Emi itaque ac Rmi PP. . . respondendum censuerunt:

„Affirmative ex concessione.“

Atque ita rescribere ac servandum omnino mandarunt. N. 4787 ad 1. Die 27. Augusti 1836.

Pius PP. VI.

Emanavit nuper a Congregatione VV. FFr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet: Conchen. Sanctissimus Dominus Noster Pius sextus Pontifex Maximus ad humillimas preces reverendissimi Episcopi Conchensis benigne concessit elevationem ritus officii sancti Vincentii Martyris a semiduplici ad dupl. min. cum lectionibus propriis secundi nocturni jam alias adprobatis *pro Provincia Valentina* et cum lectionibus tertii nocturni ex homilia s. Gregorii PP. in Evangelium „*Si quis vult etc.*“ de communi unius martyris secundo loco, recitandum in *tota dioecesi Conchensi* in die ejus festo.

Die 15. Junii 1793.

Loco † Signi.

Card. Archintus, Praefectus.

D. Cappola S. R. E. Secretarius.

Cum autem sicut venerabilis frater modernus Episcopus Conchensis praedictus Nobis nuper exponi fecit, ipse decretum hujusmodi quo firmiter subsistat et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum hujusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique apostolicae firmitatis robur adjicimus omnesque et singulos juris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Datum Romae die 5. Julii 1793.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 333.)

Claramonten.

Fratres minimi conventus Claramonten. s. Rituum Congregationi supplicaverunt ipsis facultatem attribui, ut possint quotannis die 31. Augusti recitare officium duplex in octava s. Vincentii martyris intuitu corporis ejusdem sancti, quod asservatur in eorum Ecclesia. At Emi PP. eidem Congregationi praepositi petitioni praefatae tantum intra limites decretorum generalium annuerunt, quod scilicet, praevia corporis approbatione ab Ordinario facienda, die tantum martyrii vel translationis aut his etiam incertis, alia arbitrio ejusdem Ordinarii statuenda fratres oratores possint officium sub ritu duplici e communi unius martyris assumendum recitare.

Die 19. Junii 1655.

(Anal. J. P. 1863 p. 329.)

VINUM PRO CELEBR. MISSAE.

a) Materia.

Solum vinum ex vite est materia apta consecrationis; Concil. Carthaginens. III. capit. 4., Concil. Lateranens. cap.: Firmiter de Summa Trinitate, Concil. Florentin. sess. ult. in decreto unionis §: Tertium, et Communis Catholicorum.

Unde cerevisia et sicera non est apta materia, cum illa fiat ex frugibus et praecipue ex hordeo, ista ex pomis. Item apta materia non est lac, mel, oleum, balsamum et similia. Item apta materia non est succus extractus ex pomis, malogranatis et moris et hujusmodi. Item apta materia non est agrestum ex uvis penitus immaturis expressum et acetum, quia illud nondum est vinum et istud intelligitur jam substantialiter corruptum. Item ma-

teria apta non est aqua ex vite ad modum lacrimae decidens, quia licet de vite proveniat, nihil tamen vini nec ejus accidentia continet. Item materia apta non est vinum adhuc in uvis existens et non expressum, cum potius vim habeat cibi quam potus. Item materia apta non est vini vapor, id est subtilior et magis ignea ipsius pars, vulgo, Acquavita aut Spirito di vino, quia nulla fere habet accidentia vino communia. Item materia apta non est vinum ita decoctum et adustum, ut per decoctionem duae ipsius partes fuerint consumptae, remanente tertia parte densiori et dulciori, quia talis tertia pars est substantialiter diversa a vino nec ad potum deservit, sed ad cibos condiendos. Item materia apta non est vinum in pane imbibitum, quia tale vinum habet potius rationem cibi quam potus, unde consecrari nequit sicuti simili de causa consecrari nequit uva seu vinum adhuc in uva existens et non expressum; sic communis Doctorum quoad omnes supra positas conclusiones.

Apta tamen materia pro consecratione est vinum miraculosum, quale fuit illud in Cana Galilaeae a Christo ex aqua productum, quia ipsum in substantia est ejusdem rationis et speciei cum vino ex vite expresso, sicuti in substantia est ejusdem rationis cum pane triticeo panis miraculose ex lapide seu alia materia productus.

Mustum immediate ab uvis expressum et non depuratum in casu alicujus necessitatis est materia apta et licita pro consecratione; colligitur ex can.: *Cum omne crimen, de consecrat. dist. 2.*, ubi dicitur, quod in necessitate possit exprimi botrus in calice, aqua misceri et consecrari, quod clare demonstrat, tale mustum esse materiam aptam et validam et ex necessitate etiam licitam, quia necessitas facit licitum, quod alias est illicitum; can.:

Quod non est licitum 4. de Regul. Juris, cap.: Omnes 1. de Feriis, cap.: Consuluisti 3. de celebrat. Missar., cap.: Consilium 2. de observatione jejun. cum similibus.

Uno verbo omnia vina de vite modo consueto extracta, quae non sint substantialiter corrupta vel notabiliter mutata, sunt materia apta consecrationis, quamvis aliquantulum alterentur, ut si calefiant et modice coquantur, modico aquae immisceantur aut aliquo aromate ad ea conservanda condiantur. Nec refert, an dicta vina sint alba vel rubra, cum utraque sint vera genimina vitis. Quamvis tamen ubi commode haberi possint vina alba, convenientius sint adhibenda, ut statuit *Concilium Mediolanense p. 1. tit.: Quae pertinent ad celebrationem missae*, ibi: „Quamobrem etiam vino albo ubi possint ad missae sacrificium sacerdotes utantur.“

Probabile fortasse est, quod si vinum imbibitum in pane erumpat supra panem aut si uva matura pungatur, ita ut erumpat succus quasi in bullas, sit materia apta ad consecrationem; sic *La Croix* lib. 6. part. 1. n. 436 cum Suarez et Haunold ibi citatis, et alii. Et ratio est, quia ex ipso quod vinum erumpat, desinit esse pars talis panis intincti vel uvae et est vere demonstrabile, sicut si quis videat sanguinem erumpere e vulnere Pauli, vere dicit, hic est sanguis Pauli. Item probabilius est, quod vinum congelatum sit materia ad consecrationem; *Silvester* verbo: *Eucharistia* 2. qu. 10., *Angelus* verbo: *Missa* n. 23., *Suarez* disp. 45. sect. 1. vers.: Unde tertio concludo, *Reiffenstuel* Theol. moral. tract. 14. n. 14. qu. 3. n. 25. testans de communi Theologorum, *La Croix* cum Busemb. et aliis lib. 6. part. 1. n. 434. et alii plures contra *Armillam*, *Henriquez*, *Felicem Potest.* et alios;

et ratio nostra est, quia vinum congelatum est proprium vinum ex vite substantialiter et ex natura sua potabile; et quamvis hic et nunc propter congelationem non sit proxime potabile, hoc est per accidens; potest enim facile per liquefactionem redigi ad formam potabilem: unde attendendum est ad id quod est per se et ex natura sua et non ad id, quod est per accidens. Si quis autem sine necessitate in vino congelato consecret, peccaret graviter, quia sine necessitate consecraret in materia aequaliter dubia, cum supracitati Doctores putent esse materiam insufficientem et invalidam, unde priusquam consecraretur, debet liquefieri vel complectendo calicem manibus vel ignem aut calidos pannos applicando, sicuti *rubricae Missalis tit. de defectibus in ministerio ipso occurrentibus* praescribunt esse faciendum, si post consecrationem sanguis congeletur in calice, ibi: Si in hyeme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis; si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope altare; dummodo in calicem non intret, donec liquefiat.“

Sine vino nunquam licet consecrare solum panem: Consecratio enim utriusque speciei panis et vini est de necessitate praecepti divini. Falsum enim et fabulosum est, quod *Innocentius VIII.* dispensaverit cum *Norvegis*, ut in una tantum specie consecrarent.

Guttae vini existentes intra calicem discontinuae et a reliquo vino sejunctae probabiliter non remanent consecratae; *Suarez* disp. 43. sect. 6 §: Sed objicet *Reginald.* lib. 29. cap. 2., *Gavantus* in rubric. *Missalis* part. 3. tit. 7. n. 4., *Madernum* tract. 2. de Sacramento Eucharistiae qu. 2. art. 4. n. 15., *Cacheranum* tract. 9. de Eucharist. ut Sacramento cap. 2. §. 6.

1. 126., *Felic. Potestat.* tom. 3. part. n. cap. 2. n. 227. et alios contra *Bonacinam* disp. 4. q. 2. punct. 5. proposit. 2. n. 7., *Coninch.*, *Tolet.*, *Rodriguez.*, ab ipso citatos et alios; et ratio nostra est, quia intentio legitima sacerdotis fertur solum in materiam existentem in calice demonstrabilem per pronomen: Hic, et licite consecrabilem; licite autem est solum consecrabile vinum aqua commixtum, cum hoc sub gravi praecipitur ab Ecclesia, ut mox dicitur, quia aqua non censetur commixtae guttae vini intra calicem existentes discontinuae et a reliquo vino sejunctae adeoque etc. Advertendum tamen est, quod guttae illae vini, si ante consecrationem inadvertenter non fuerint abstersae, non debent post consecrationem abstergi propter probabilitatem, quod sint consecratae juxta opinionem supradictorum doctorum.

Altera materiae Eucharistiae pars est vinum de vite, sive album sive rubrum sive alterius coloris sit, apta materia est, cum non color sed substantia liquoris ex uvis expressi a Christo Domino stabilita sit hujus sacramenti materia. Quod quidem notandum duxi, ut quisque intelligat, *Moscovitas* in manifesto versari errore si credant, ut Auctores nonnulli referunt, solum vinum rubrum aptam esse Eucharistiae materiam. De vino duo discutienda offert dubia Orientalis Ecclesia, alterum scilicet de consuetudine, quae in Aethiopia et apud *Syros* nonnullos viget, de adhibendo, ob vini penuriam, liquore ex uvis passis expresso; alterum vero de *Armenorum* errore, qui censent, nefas esse vino modicum aquae miscere; quibus et tertium addemus, de aqua fervente, quam *Graeci* peracta jam consecratione in calicem mittunt.

Quaeres I. *Utrum liquor ex uvis passis et zebibo expressus licite ac*

valide in Eucharistia perficienda usurpetur?

Nota 1. Fagundez praecept. lib. 2. cap. 3. ita scribit: „Scio, in Aethiopia ex defectu vini assumere Catholicos et Patres nostrae societatis uvas non ita passas et eos aquam superinfundere, quoadusque lentescant, et postea exprimunt, ex quibus fit vinum, in quo consecrant, satis generosum; et primus Auctor hujus rei fuit sanctissimus Vir Andreas de Ojedo Patriarcha ejusdem Aethiopiae.

Nota 2. Anno 1703 die 14. Febr. propositum fuit dubium a P. Josepho de Jerusalem Ordin. Minor. strict. Obs. ac Missionibus Aethiopiae Praefecto: *An liceat Missionariis celebrare cum vino ex zebibo vel uvis passis expresso, ut in regionibus illis fieri solet?* Sanctissimus auditis votis Eminentissimorum mandavit exquiri prius per R. P. D. Assessorem a dicto P. Josepho, quo praecise modo conficiatur vinum ex uvis passis vel zebibo in Aethiopia, et postea iterum formari et proponi idem quaesitum cum dicta expressione vel declaratione ante DD. Consultores et successive in Congregatione coram Sanctitate sua habenda. Responsum deinde fuit a supradicto P.: vinum hujusmodi in hunc fieri modum: sumuntur ex. grat. 4. librae zebibi, franguntur atque in apto vase tunduntur ac deinde totidem frigidae aquae in idem vas infunduntur eaque in infusione servantur per sex, octo vel ad summum decem horas; exarabitur postea zebibi vel uvae passae materia eaque ab exteriori aqua purgata aut panno stringitur vel torculari premitur. Liqueor inde expressus vinum est, quo sine ulteriori diligentia utuntur, dum celebrant. Hac praemissa explicatione fuit iterum propositum dubium: Lectis quoque relationibus et rationibus Patris Joannis

Damasceni Consultoris necnon variis experimentis factis pro eruendo dicto vino Sanctissimus auditis votis Eminentissimorum dixit: *Licere, dummodo liquor extrahendus a zebibo vel uvis passis ex colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum.* S. C. C. Off. 12. Julii 1706.

Resp. His praemissis, ubi vinum desit, ut revera deest in regionibus illis, in quibus hoc utuntur liquore, valide ac licite usurpatur, si tamen ex colore, odore atque sapore censeri possit verum vinum; nam si liquor ex uvis de vite extractus esset atque iis qualitatibus deprehenderetur uvas illas passas vel zebibum ex decoctione non mutavisse constat uvae naturam. Quamobrem probare non possum Vericelli responsionem, qui negative respondendum censet, „quia zebibum est adeo decoctum ab igne, ut non possit ex eo confici simpliciter vinum, cum addito nempe: vinum coctum seu sapa“; nam zebibum uva est, ignis vel solis calore exsiccata; et si post infusionem in aqua liquorem exprimat, qui colorem saporemque servet vini, non video, cur verum vinum censeri nequeat, quod accedentarie tantum ab illd differat.

b) Pro Purificat. calicis.

Ad dub.: *An loco vini in utraque purificatione, ubi magna sit vini penuria, licite adhiberi possit tantum aqua?*

Sacra Congregatio s. offic. 14. Julii 1707 ad hujusmodi quaesitum propositum ab Episcopo Quebecensi respondit: „citra maximam vini penuriam servandas esse pro viribus rubricas Missalis romani, praesertim in purificatione seu prima ablutione“, dum vero tanta sit vini penuria, ut, nisi sacerdotes aqua tantum uterentur in purificatione, coacti essent pluries ad

non celebrandum, adhibere posse solem aquam, declaravit Congr. in responsione ad dubia proposita a Missionariis Sinensibus die 23. Januarii 1665.

c) Aqua cum vino commiscenda.

Vino parum aquae miscet tum Occidentis tum Orientis Ecclesia. In Occidente id omittunt Lutherani Calvinianique, quod consuetudo sit non a Christo sed ab hominibus orta quodque praeceptum, quod orthodoxa inculcat Ecclesia, evangelicae puritati ac libertati adversetur. In Oriente vero aquae mixtionem rejiciunt Armeni; ii in conciliabulo Monophysitas illos imitati sunt, quos Brunus appellatos fuisse censet Julianitas et Cajanitas, qui, ut Anastasius Sinaita renunciatus Antiochiae Patriarcha anno 561 scribit, *vinum merum sine aqua offerunt, ut exinde deprehendantur confiteri Christum nuda et simplici deitate constare.* Facile autem est demonstrare, Ecclesiam ad Christi imitationem Apostolorum aetate statuisse, ut vino parum aquae misceretur, idque habitum semper fuisse ut Ecclesiae praeceptum; Christum Dominum vino parum aquae miscuisse ex eo liquet, quod dum Pascha celebraret more Judaeorum Eucharistiam instituerit, ut etiam Armeni ac alii Haeretici fatentur; at Judaei calicem paschalem aqua temperare solebant, ut constat ex Misna de benedictione 7, ex Rabi Maimonide aliisque et ex vulgari eorumdem antiquo more, *proverbiorum cap. 9. et Apocalypseos cap. 18.* Deinde Christum Dominum aqua calicem temperasse testatus est Irenaeus circa medium II. saeculi lib. 4. adversus haeres. cap. 57. inquit: „accipiens Dominus panem suum esse corpus confitebatur et temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit;

libr. autem 5. cap. 2. temperamentum calicis mixtum calicem vocat,“ inquit Massuetus et Cyprianus epist. 63. ad Caecilium III. saeculo scripsit: *Invenimus calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit,* hoc est in calice vino aquam fuisse mixtam, ut ipse ibidem explicat. Ergo primis saeculis Ecclesia credebatur Christum aqua vinum temperasse. Morem autem hunc eam fuisse imitam testatur Justinus Apologia 2.: „Deinde, inquit, ei, qui fratribus praest, offertur panis et poculum aquae et vinum;“ testatur quoque Auctor Constitutionum apostolicarum lib. 8. cap. 12. de Christo dicens: *Similiter calicem miscuit ex vino et aqua, sanctificavit etc.* Et, ut mittam alios PP., omnes antiquae Liturgiae Jacobi Chrysostomi etc. hujus mixtionis ritum praescribunt illumque servandum praecipere concilia. Carthaginiense III. anno 397 celebratum, Truilanum supra citatum, Florentinum et Tridentinum, quod sess. 22. cap. 7. ait: „Monet deinde sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur; et cum aquae in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.“ Cum res ita se habeat, palam est, Ecclesiam consuevisse semper et ubique vino modicum aquae miscere, idque non pro re indifferenti sed praecepta habuisse.

Graeci praeter frigidam aquam, quam ante consecrationem solent vino miscere, ante Eucharistiae sumptionem ferventem aquam infundunt in calicem „ut scilicet sanguis et aqua, quae fluxerunt a sancto latere Domini et Dei Salvatoris nostri Jesu Christi tempore

salutaris passionis ejus, vivica esse constet, veluti ex vivico deificato corpore vivica, ait Balsamon in resp. ad quaesita Marci Patriarchae Alexandrini, mixtio haec damnari non potest, tum, quod antiqua sit ac a sanctis Patribus commendata: nam praescribitur in Liturgiis Basilii et Chrysostomi ac laudatur a Nysseno orat. catech. cap. 37. a Theodoro dialogo primo inscripto: *Immutabilis*, a Damasceno lib. 4. cap. 14. atque ab aliis Patribus, tum etiam quia constit.: *Et si Pastoralis* §. VI. num. 2 Graeco-Italicae *permittitur facta jam consecratione, antequam Sacerdos communicet juxta ritum in Liturgia praescriptum aquam ferventem seu tepidam in sacrum calicem infundere*. Quamquam id Graecis permissum est, tamen errore non carent Phociani, qui Latinos ac Orientales mixtionem hanc omittentes erroris accusant; nam ritum omittendo, particulari Ecclesiae praescriptum, non negant nec improbant id quod Ecclesia per illum ritum significare contendit ut illi perperam arbitrantur.

Vino consecrando admiscenda est aqua; *can: In Sacramentorum* 1., *can: Sicut in Sacrificando* 2., *can: Non oportet* 4., *can: In Sacramento* 5., *can: Cum omne* 7., *can: in Calicem* 83. *dist. 2. de consecr. cum similibus*. Conc. Floren. in Decreto Unionis §: Tertium, Conc. Trident. sess. 22. cap. 7.

Vino consecrando admiscenda est aqua ob tres potissimum rationes, quas adducit Conc. Trident. cit. sess. 22. cap. 7. praecisis his verbis: „Monet deinde sancta Synodus praecceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur tum etiam quia a latere ejus aqua simul cum sanguine

exierit, quod Sacramentum hac mixtone recolitur, et cum aquae in Apocalypsi beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unto repraesentatur.“ Et concordat Conc. Florent. loc. cit. et cit. c.: In calicem 83. dist. 2. de confer., c.: Cum Marthae 6. de celebrat. missarum, cum similibus.

Praecceptum de aqua miscenda vino consecrando est tantum ecclesiasticum et non divinum: Communis et clare patet ex illis mox adductis verbis Conc. Trid.: Praecceptum esse ab Ecclesia.

Vinum plus quam aqua in calice pro sacrificio est ponendum: cap.: *Perniciosus* 13. de celebratione missar. Vinum quippe cum aqua miscendum debet esse plus saltem quoad duas partes: Concil. Tribur. 1. cap. 19. et concordant Rubricae Missalis, tit. 7. de Offertorio, ubi praecipitur, quod Sacerdos infundat parum aquae in Calice, et Concil. Florentin. in cit. decreto Unionis §: Tertium dicit, quod vino ante Consecrationem aqua modicissima admisceri debet.“

Aqua mixta vino non convertitur immediate in Sanguinem Christi, sed solum mediante id est convertitur prius in vinum et eo mediante per consecrationem in Sanguinem. Sic expresse *s. Thomas* part. 3. qu. 74. art. 8., *s. Bonaventura* in 4. dist. 11. part. 2. art. 1. qu. 3., *Scotus* in 4. dist. 11. qu. 7. cum omnibus Thomistis et Scotistis ac pluribus recentioribus contra plures alios; et ratio nostra est, quia solum vinum ex vite est materia apta Consecrationis; ex Concil. Carthaginens. III. cap. 24., Conc. Lateranens. in cap.: *Firmiter*, de Summa Trinitate, Concil. Florentin. sess. ultim. in decreto unionis; atqui aqua nondum conversa in vinum non est vinum ex vite, immo nullatenus vinum, ergo

etc. Hinc Innocentius III. in cap.: *Cum Marthae* 6. de celebrat. Missar. §.: *Quaesivisti*, rejectis duabus aliis sententiis videtur aperte asserere, nostram opinionem asserentem aquam prius in vinum converti esse probabiliorum.

Et idem Innocentius III. lib. 4. de Altaris Mysterio cap. 31. expressius suam mentem in hoc explicat praecisis his verbis: „Quibusdam vero non absurdum videtur, quod aqua cum vino transit in sanguinem ea videlicet ratione, quod aqua per admixtionem transit in vinum et vinum per consecrationem transit in Sanguinem; quis enim ambigat, aquam in vinum transire, cum multo vino modicum infunditur aquae? Et Catechismus romanus de Eucharistia cap. 4. tradit, hanc opinionem de conversione aquae in vinum esse Scriptorum ecclesiasticorum testimonio roboratam.

Permittendum non est Armenis ad unionem cum s. rom. Ecclesia venientibus, ut cum solo vino sacrificium missae peragant.

Sancta Congr. de Propag. 30. Junii 1635.

d) Cum micis panis non est miscendum.

Alexand. III. Upsellensi Archiepiscopo et Suffrag.

Non sine cordis amaritudine quosdam sacerdotes contra apostolicas institutiones, cum sicca faece vini vel cum micis panis vino intinctis missam celebrare audivimus; cum magister veritatis discipulis suis sacramentum commendaret nostrae salutis, non siccam faecem vini, non micas panis vino intinctas accepit sed panem et calicem et benedicens dedit discipulis. Quia igitur secus agere evangelicae

et apostolicae doctrinae contrarium et consuetudini ecclesiasticae penitus est adversum, apostolica prohibemus auctoritate, ut cum sicca faece vini vel cum micis panis vino intinctis vel alio modo, quam Dominus instituit, nullus de caetero sacrificare attentet sed secundum formam sacrosanctae Ecclesiae romanae, quam vos in omnibus imitari oportet, solum panem et vinum aqua mixtum in sacrificio corporis et sanguinis Christi offeratis.

Die 9. Sept. 1170. (Bull. r. t. II. p. 734. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Alexander PP. III.

Upselensi Archiepiscopo et Suffraganeis ejus.

Non sine cordis amaritudine quosdam sacerdotes contra apostolicas institutiones cum sicca faece vini vel cum micis panis vino intinctis Missam celebrare audivimus: et fideles laicos non christiano more absque sacerdotali benedictione et Missa matrimonium contrahere. Unde saepe illicita contingit fieri conjugia et inter legitimas personas divortium intervenire. Sane cum omne crimen atque omne peccatum oblati Deo sacrificiis deleatur: quid de caetero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Cum enim magister veritatis discipulis suis sacramentum commendaret nostrae salutis non siccam faecem vini, non micas panis vino intinctas accepit sed panem et calicem et benedicens dedit discipulis suis. Quia igitur secus agere evangelicae et apostolicae doctrinae contrarium et consuetudini ecclesiasticae penitus est adversum, apostolica prohibemus auctoritate, ut cum sicca faece vini vel cum micis panis vino intinctis vel alio modo, quam Dominus instituit,

nullus de caetero sacrificare attentet, sed secundum formam sacrosanctae Ecclesiae romanae, quam vos in omnibus imitari oportet, solum panem et vinum aqua mixtum in sacrificio corporis et sanguinis Christi offeratis.

Dat. Tusculani V. Idus Sept. 1181. (Bull. r. t. IX. p. 26. Ed. Luxbg.)

VIRGA.

1) Cantoris.

Cantor Cathedralis, qui cum aliis Dignitatibus et Canonicis ab Episcopo invitatus ad Collegiatam se confert, non valet virgam gestare, qua utitur in Cathedrali, sed ea uti valet Cantor Collegiatæ etiam praesentibus Canonicis Cathedralis. n. 4439 ad 5 et 6 die sine dato (videtur esse 28. Julii 1789.)

2) Poenitentiariorum.

Quoad virgam Poenitentiariorum datur hic ad litteram consultatio vigesima secunda tomi primi D. Jacobi Pignatelli, ut sequitur:

Consultatio XXII.

An Canonicus Poenitentiarius in Cathedrali Ecclesia uti possit virga sive, ut ajunt, bacchetta?

Non potest quia est praejudiciale Poenitentiariis Ecclesiarum Patriarchalium Urbis et novitatis introductivum. Quippe quaelibet Cathedralis non poterit sibi tamquam licitum arrogare quod in simili Romae gestum fuerit. Non enim talis canonicus Poenitentiarius est Poenitentiarius D. Papae, sed institutus ob observationem Decreti Conc. Trid. sess. 24. cap. 8 de reform. Cum autem tenere virgam in manibus sit signum supremæ auctoritatis, unde solus summus Poenitentiarius illam tenet eoque praesente minores Poeni-

tentarii virgam dimittunt: ideo concedi non debet cuicumque Poenitentiario cujuslibet ecclesiae sed solum illis, qui immediate sunt Poenitentiarii Summi Pontificis.

Accedit resolutio sacrae Cong. super causa Abulensium anno 1597 die 21. Aprilis. Quaesitum enim fuerat: an Canonicus Poenitentiarius teneretur auscultare confessiones etiam non reservatorum, an sedere et assistere in sede determinata statis temporibus et horis ante et post meridiem? an deberet tenere virgam in manu, sicuti servatur in Patriarchalibus Urbis? Et responsum fuit affirmative ad duo priora quaesita; ad tertium autem, novas consuetudines non esse inducendas. Idem quoque declaravit sacra Cong. Episcop. et Regular. die 16. Mai 1596 in una Neapolitana per haec verba: „Che senza privilegio apostolico non possono i Confessori tener in mano le bacchette, come fanno i Penitenzieri di Roma.“

Quare cum sit contra usum totius Ecclesiae, nusquam enim tales Poenitentiarii virgam tenent, contra consuetudinem et rationem permitti non debet, prout non permitti decrevit sacra Cong. Concilii in una Romana Poenitentiarii Lateranensis die 13. Nov. 1639, de qua testatur Dominicus Andolphinus Parochus s. Luciae ad apothecas, vir pius et ecclesiastica eruditione apprime imbutus.

Major poenitentiarius potest concedere Indulgentiam centum dierum omnibus Christifidelibus, qui ipsi poenitentiarii virga tangendos se submiserint: Innocent. XII. constit. incip.: *Romanus Pontifex*.

VISITATIO.

1) Aedium eccles.

In Visit. aed. eccl. peragenda est inquirendum de:

- 1) Incolis.
- 2) Cohabitatione ancillarum.
- 3) Facinoroso latibulo.
- 4) Reparatione.
- 5) Distantia ab Ecclesia.

Gavant. Merat. V. p. 66. Ed. Venet. 1823.

2) Altaris.

a) Pro lucrando Jubilaeo.

Vd.: Visit. Eccles. (pro lucrando Indulg. Jubil.)

b) Modus.

Vd.: Visit. (Ecclesiae — modus —; utensilium etc.)

In Visit. alt. peragenda est inquirendum de:

- 1) Altare majori.
- 2) Gradu ad illud.
- 3) Gradu in eo.
- 4) Ara lapidea.
- 5) Consecratione totius.
- 6) Tela cerata, immobilis.
- 7) Fenestella.
- 8) Mappis tribus vel una duplicata.
- 9) Earum benedictione.
- 10) Cruce.
- 11) Candelabris.
- 12) Icone.
- 13) Stautis.
- 14) Tabella secretarum.
- 15) Tela stragula.
- 16) Mutatione mapparum.
- 17) Palliariis.
- 18) Umbellis.
- 19) Suppedaneo.
- 20) Fenestra urceorum.
- 21) Cancellis.
- 22) Cereostata.

Decreta authentica. Tom. III. Part. II.

- 23) Campanula.
- 24) Clavo pro bireto Sacerdotis,
- 25) Pulvinari.
- 26) Tabella ultimi Evangelii.
- 27) Dote altaris.
- 28) Patrono.
- 29) Oneribus Missarum.
- 30) Titulo beneficii.
- 31) Festis.
- 32) Officio
- 33) Privilegiis Defunctorum.

Gavant. Merat. t. V. p. 65. (Ed. Venet. 1823.)

3) Archidiaconi.

Dub. I.: An Archidiaconus Ecclesiae Gerundens. per se visitare possit ecclesiam, Capitulum, Canonicos et Dioecesim et necessaria ad bonum ecclesiae regimen demandare in casu?

Dub. II.: An idem Archidiaconus procedere valeat in visitatione et extra eam contra capitulum et singulos Canonicos tam in civilibus quam in criminalibus sine conjudicibus et adjunctis ejusdem capituli in casu?

S. C. C. resp.

Ad I.: Negative quoad ecclesiam Cathedralis et Capitulum et in reliquis affirmative.

Ad II.: Quoad provisionem provisionem in superiori; extra vero visitationem Archidiaconum procedere debere cum adjunctis ad formam concilii in criminalibus tantum.

Die 12. Feb. 1729.

Vetitam Archidiaconis esse Dioecesis visitationem absque Episcopi iicentia, ut observant Canonistae omnes in Cap. 1. de Offic. Archid., et statuit Concil. Trident. sess. 24 cap. 3. de Refor.

(Ex resol. S. C. C. die 16. Sept. 1769.)